MASTER NEGATIVE NO. 92-81092-19

AUTHOR:

FROTSCHER, KARL H.

TITLE:

Q. ASCONIUS PEDIANUS IN M. TULLII CICERONIS..

PLACE:

FREIBURG

DATE:

1845

Master Negative #

92-81092-19

COLUMBIA UNIVERSITY LIBRARIES
PRESERVATION DEPARTMENT

BIBLIOGRAPHIC MICROFORM TARGET

Original Material as Filmed - Existing Bibliographic Record

Frotscher, Karl Heinrich, 1796-1876, ed.

Asconius Pedianus, Quintus.
Q. Asconius Pedianus in M. Tullii Ciceronis orationem pro T. Annio Milone separatim editus. Freiberg, Gerlach, 1845.
14 p. 28½ cm.


Ed. by K. H. Frotscher.
At head of title: Zweiter iahresbericht des Königl. gymnasiums zu Freiberg ...

No. 21 of volume of pamphlets.

Re

TECHNICAL MICROFORM DATA


FILM SIZE: 35 REDUCTION RATIO: 11½x
IMAGE PLACEMENT: IA IIA IB IIB
DATE FILMED: 2-10-93 INITIALS Susan
FILMED BY: RESEARCH PUBLICATIONS, INC WOODBRIDGE, CT





AIIM


Association for Information and Image Management

1100 Wayne Avenue, Suite 1100
Silver Spring, Maryland 20910
301/587-8202














MANUFACTURED TO AIIM STANDARDS
BY APPLIED IMAGE, INC.

Zweiter Iahresbericht
des
KÖNIGL. GYMNASIUMS ZU FREIBERG
auf das Schuliahr 1844–1845.

Als
Einladungsschrift
zu dem
zum Andenken edler Wohlthäter der Anstalt
Freit. d. 18. April Vorm. 9 Uhr
Statt findenden
R e d e a c t u s

von

dem Rector
Karl Heinrich Frotscher,
Dr. u. Prof. d. Philos., der Grossherzogl. latein. Gesellschaft zu Iena Ehrenmitgl.
u. vieler ander. gelehrt. Gesellschaften Mitgl.

Voran steht:
Q. Asconius Pedianus in M. Tullii Ciceronis orationem pro T. Annio Milone separatim editus.

Freiberg 1845.
Druck von F. C. Gerlach.

Q. ASCONIUS PEDIANUS

IN

M. TULLII CICERONIS

ORATIONEM

PRO

T. ANNIO MILONE

IN USUM TIRONUM SEPARATIM EDITUS

Hanc dixit Cn. Pompeio III. consule a. d. VI.*) Idus April.**) Quod iudicium cum ageretur, exercitum in foro et omnibus in templis, quae circum forum sunt, collocatum a Cn. Pompeio fuisse, non tantum ex oratione et annalibus, sed etiam ex libro apparet, qui Ciceronis nomine inscribitur *de optimo genere oratorum.****)

ARGUMENTUM HOC EST.

§. 2. T. Annius Milo et P. Plautius Hypsaeus et Q. Metellus Scipio consulatum petierunt non solum largitione palam profusa, sed etiam factionibus armatorum succincti.

Miloni et Clodio summae erant inimicitiae, quod et Milo Ciceronis *.*) erat amicissimus in reducendoque eo enixe operam rei publicae dederat, et P. Clodius restituto Ciceroni erat infestissimus ideoque summe studebat Hypsaeo et Scipioni contra Milonem. Ac saepe inter se Milo et Clodius cum suis factionibus Romae depugnaverant, et erant uterque audacia pares; sed Milo pro melioribus partibus stabat. Praeterea in eundem annum consulatum Milo, Clodius praeturam petebat, quam debilem futuram

---

*) III. Manutius in Ed. postr. Cf. infra §. 29.

**) A. a. u. c. 702.

***) IV. §. 10.

.) Baiterus edidit *Ciceroni.* Non opus esse dativum puto, ne propter seqq. quidem.

§. 3. consule Milone intelligebat. Deinde cum diu tracta essent*) comitia consularia, perficique ob eas ipsas perditas candidatorum contentiones non possent, et ob id mense Ianuario nullidum neque consules neque praetores essent, trahereturque dies eodem quo antea modo; cum Milo quam primum comitia confici vellet, conficeretque cum bonorum studiis, quod obsistebat Clodio, favente**) etiam populo propter effusas largitiones impensasque***) ludorum scenicorum ac gladiatorii muneris maximas, in quas tria praedia effudisse eum Cicero significat,***) competitores eius trahere vellent, ideoque Pompeius gener Scipionis et T. Munatius tribunus plebis referri ad senatum de patriciis convocandis, qui interregem proderent, non essent passi, cum interregem prodere moris esset: a. d. XIII. Kal. Febr. (acta etenim magis sequenda et ipsam orationem, quae actis congruit, puto quam Fenestellam, qui a. d. XIIII. Kal. Febr. tradit) Milo Lanuvium, ex quo erat municipio et ibi tum dictator, profectus est ad flaminem
§. 4. prodendum†) postera die. Occurrit ei circa horam nonam††) Clodius paulo ultra Bovillas, rediens ab Aricia, prope eum locum, in quo Bonae Deae sacellum est. Erat autem allocutus decuriones Aricinorum. Vehebatur Clodius equo. Servi XXX fere expediti, ut illo tempore mos erat iter facientibus, gladiis cincti sequebantur. Erant cum Clodio praeterea tres comites eius, ex quibus eques Romanus unus, C. Cassinius Schola, duo de plebe novi homines, P. Pomponius, C. Clodius.†††) Milo rheda veheba-
§. 5. tur cum uxore Fausta, filia L. Sullae dictatoris, et M. Fufio familiare suo. Sequebatur eos magnum servorum agmen, inter quos gladiatores quoque erant, ex quibus duo noti, Eudamus et Birria. Ii in ultimo agmine tardius euntes cum servis P. Clodii rixam commiserunt. Ad quem tumultum cum respexisset Clodius minitabundus, humerum eius Birria rhomphaea traiecit. Inde cum orta esset pugna, plures Miloniani accurrerunt. Clodius vulneratus in tabernam proximam in*†*) Bovillano delatus est.

---

*) Vide Cic. ipsum cap. 9. Appian. B. C. II. 20. Pompeium narrat remoratum esse comitia.

**) Sic Baiterus. Ed. princeps *tamen*.

***) „Legebatur *impensas quoque*. Particulam *quoque* permutavimus cum ea, quae huic loco aptior videbatur. Utramque a librariis saepissime esse confusam satis notum est.“ BAITER.

***) Vid. Cic. cap. 35. §. 95. ex quo loco *patrimonia* pro *praediis* substituerunt plerique editores Asconii. Verumtamen ferri apud Asconium posse alterum verbum, quod est in Ed. princ. *(predia)*, item in Berald. et Lugdun. (1554.), equidem cum Baitero existimo. In iis quae statim sequuntur Hotoman. et Cren. habent *competitores vero*. Malim cum Baitero *at competitores*, repetita antecedentis verbi postrema syllaba.

†) Vid. Cic. cap. 10. pr. Aliam causam itineris profert Appian. B. C. II. 20. *βαρυθυμῶν ὁ Μίλων* (propter tracta comitia) *ὡς καὶ περὶ αὐτὸν ἀπίστου γιγνομένου τοῦ Πομπηΐου, ἐς τὴν πατρίδα Λανούβιον ἐξῄει.* Ceterum vere Hotomanus: „Municipiorum magistratus interdum duo erant, ac tum *duumviri*, interdum unus, ac tum ille interdum *praetor*, interdum *dictator* dicebatur.“

††) Apud Cic. cap. 10. §. 29. est *hora fere undecima aut non multo secus.* ubi cf. Klotz.

†††) Vid. Cic. cap. 17. extr. Mox *familiare* dedi cum Ed. princ. Berald. Bait. pro vulg. *familiari*.

†) Praepositionem, quae deerat, reponendam esse viderunt Madvigius et Baiterus. Inepte enim tabernam dici *propinquam* (agro) *Bovillano*, et vero facile intelligi erroris in his verbis originem.

§. 6. Milo ut cognovit vulneratum Clodium, cum sibi periculosius illud etiam vivo eo futurum intelligeret, occiso autem magnum solatium esset habiturus, etiam si subeunda esset poena, exturbari taberna*) iussit. Fuit antesignanus servorum eius M. Fustenus.**) Atque ita Clodius latens extractus est multisque vulneribus confectus.***) Cadaver eius in via relictum, quia servi Clodii aut occisi erant aut graviter saucii latebant, Sex. Tedius senator, qui forte ex rure in urbem revertebatur, sustulit et lectica sua Romam
§. 7. ferri iussit; ipse rursus eodem, unde erat egressus, se recepit.***) Perlatum est corpus Clodii ante primam noctis horam, infimaeque plebis et servorum maxima multitudo magno luctu corpus in atrio domus positum circumstetit. Augebat autem facti invidiam uxor Clodii Fulvia, quae cum effusa lamentatione vulnera eius ostendebat. Maior postera die luce prima multitudo eiusdem generis confluxit, compluresque noti homines elisi sunt; inter quos C. Vibienus senator.†) Erat domus Clodii, ante paucos menses empta de M. Scauro, in Palatio. Eodem T. Munatius Plancus, frater L. Planci oratoris, et Q. Pompeius Rufus, Sullae dictatoris ex filia nepos, tribuni pl. accucurrerunt: eisque adstantibus††) vulgus imperitum corpus nudum caldatum,†††) sicut in lecto erat positum, ut vulnera videri possent, in forum detulit et in Rostris posuit.
§. 8. Ibi pro concione Plancus et Pompeius, qui competitoribus Milonis studebant, invidiam

---

In Scholiis Bobiens. pag. Orell. 275. dicitur Clodius metu peragitatus *ad Bovillas in cauponulam quandam* fugiens concessisse.

*) Sic scripsi cum Baitero ex verissima emendatione Madvigii. Legebatur *tabernam*: „quasi taberna latitans eiicienda fuerit.“

**) „Hic in huius orationis extremo commentario *M. Saufeius* appellatur, et potest etiam esse *M. Fusius*, de quo paulo ante [§. 4. extr.]“ MANUTIUS. — Illic haec leguntur: *M. Saufeius M. F., qui dux fuerat in expugnanda taberna Bovillis et Clodio occidendo.*

***) „Dio Cass. XL. 48. *ὁ γοῦν Μίλων τὸν Κλώδιον ἐν τῇ Ἀππίᾳ ὁδῷ συντυχόντα οἱ τὸ μὲν πρῶτον ἁπλῶς πως ἔτρωσεν, ἔπειτα δὲ φοβηθεὶς μὴ ἐπεξέλθῃ τῷ γεγονότι, κατέσφαξεν, ἐλπίσας, ἐπειδὴ πάντας τοὺς οἰκέτας τοὺς τοῦτο ποιήσαντας ἐλευθερώσαι, ῥᾷον τοῦ φόνου, τελευτήσαντος αὐτοῦ, ἢ τοῦ τραύματος, εἰ περιγίγνοιτο, ἀφεθήσεσθαι.* Appian. B. C. II. 21. *θεράπων τοῦ Μίλωνος ἐπιδραμὼν τῷ Κλωδίῳ, εἴτε κεκελευσμένος εἴθ᾽ ὡς ἐχθρὸν δεσπότου κτείνων, ἐπάταξεν ἐς τὸ μετάφρενον ξιφιδίῳ· καὶ τὸν μὲν αἵματι ῥεόμενον ἐς τὸ πλησίον πανδοκεῖον ὁ ἱπποκόμος ἐσέφερεν. ὁ δὲ Μίλων μετὰ τῶν θεραπόντων ἐπιστὰς ἔτι ἔμπνουν ἢ καὶ νεκρὸν ἐπανεῖλεν, ὑποκρινόμενος μὲν οὐ βουλεῦσαι τὸν φόνον οὐδὲ προστάξαι· ὡς δὲ κινδυνεύσων ἐξάπαντος, ἠξίου τὸ ἔργον οὐκ ἀτελὲς καταλιπεῖν.* Non casu autem pugnam factam esse monstrat Cicero ad Att. IV. 4. [immo IV. 3.] *Si se inter viam Clodius obtulerit, occisum iri ab ipso Milone video. Non dubitat facere, prae se fert, casum illum nostrum* (exsilii) *non extimescit.*“ MATTHIAE.

***) Sic Baiter. cum Madvigio. Ed. princ. *unde erat regressum recepit.*

†) Vid. Cic. cap. 14. §. 37.

††) Sic scripsi cum Baitero. Hotoman. et Cren. *hortantibus*; *obstantibus* antiquiores.

†††) Sic corrupte Ed. princ. Berald. Ald. Lodoic. Manut.; *calciatum*, quod probavit Manutius quoque, Lugdun. Hotoman. Cren. item Matth. *(calceatum)*; *ac sauciatum* Martyni-Laguna (ad Cic. Epp. II. 6.) quem sequutus est Schuetz. it. Teubner.; Baiterus malit *calcatum* i. e. foede tractatum necdum lavatum et unctum, sed adhuc cruentum sordibusque obrutum, *oblitum cruore et luto*, ut ait Cicero §. 86. Mihi quidem copulam desideranti magis placet *ac lutatum*.

Miloni fecerunt. Populus duce Sex. Clodio scriba corpus P. Clodii in curiam intulit,*) cremavitque subselliis et tribunalibus et mensis et codicibus librariorum. Quo igne et ipsa quoque curia flagravit, et item Porcia basilica, quae erat ei iuncta, ambusta est. Domus quoque M. Lepidi interregis (is enim magistratus curulis erat creatus) et absentis Milonis eadem illa Clodiana multitudo oppugnavit, deinde sagittis repulsa est. Tum fasces ex lecto Libitinae raptos attulit ad domum Scipionis et Hypsaei, deinde ad hortos Cn. Pompeii, clamitans eum modo consulem modo dictatorem.

§. 9. Incendium curiae maiorem aliquanto indignationem civitatis moverat quam interfectio Clodii. Itaque Milo, quem opinio fuerat ivisse in voluntarium exilium, invidia adversariorum recreatus nocte ea redierat Romam,**) qua incensa erat curia, petebatque nihilo deterius***) consulatum; aperte quoque tributim in singulos millia assium dederat.*̣*) Concionem ei post aliquot dies dedit M. Caelius †) tribunus pl., atque ipse etiam causam egit ad populum. Dicebant uterque,††) Miloni a Clodio factas esse insidias.

---

*) „*εἴτε ἐπὶ τιμῇ, βουλευτικοῦ γένους ὄντα, εἴτε εἰς ὄνειδος τῆς βουλῆς τοιάδε περιορώσης.* Propter curiam incensam Plancus postea in exsilium eiectus est. vid. Phil. VI. 4. XIII. 12.“ MATTH.

**) „Dio Cass. XL. 49. latitasse eum primo, *οὐχ ὑπὸ ἰδιωτῶν μόνον, ἀλλὰ καὶ ἱππέων βουλευτῶν τε τινῶν φρουρούμενον· ἐπεὶ δὲ τοῦτό τε* (incendium curiae) *ἐγένετο καὶ τὴν ὀργὴν τῆς γερουσίας ἐς τὸ τῶν ἀντιστασιωτῶν μίασμα περιχωρήσειν ἤλπισε — — προήει τε ἐς μέσον καὶ τῆς ἀρχῆς ὁμοίως ἢ καὶ μᾶλλον ἀντεποιεῖτο.*“ MATTH.

***) Ed. princ. Berald. *Milo deterius.* Dio Cassius, quem laudat Baiterus, XL. 49. de eadem re: *τῆς ἀρχῆς ὁμοίως ἢ καὶ μᾶλλον ἀντεποιεῖτο.* Madvigius tamen legendum arbitratur *nihil deterritus,* sine idonea causa.

̣) „Lectio mendosa videtur. Malim: *tributim singula millia assium,* sic ut de eadem re infra [§. 12. extr.] legitur: *populoque tributim singula millia aeris — dedisse.*“ BAITER.

†) „Appian. de bell. civ. II. 22. *Μίλωνι δὲ θράσος τοσόνδε περιῆν, ὡς οὐ δεδιέναι περὶ τῷ φόνῳ μᾶλλον ἢ ἀγανακτεῖν ἐπὶ τῇ Κλωδίου περὶ τὴν ταφὴν τιμῇ. θεραπόντων οὖν καὶ ἀνδρῶν ἀγροίκων πλῆθος ἀθροίσας καὶ ἐς τὸν δῆμον περιπέμψας χρήματα τῶν τε δημάρχων Μάρκον Καίλιον πριάμενος, ἐς τὴν πόλιν κατῄει θρασύτατα. καὶ αὐτὸν ὁ Καίλιος εὐθὺς ἐσιόντα εἷλκεν ἐς τὴν ἀγορὰν ἐπὶ τοὺς παρ' αὐτοῦ δεδωροδοκηκότας, ὥσπερ ἐπ' ἐκκλησίαν, ὑποκρινόμενος μὲν ἀγανακτεῖν καὶ οὐ διδόναι τῆς δίκης ἀναβολὴν, ἐλπίζων δὲ, εἰ αὐτὸν οἱ παρόντες μεθεῖεν, ἐκλύσειν τὴν δίκην τὴν ἀληθεστέραν. Καὶ Μίλων μὲν οὐ βουλεῦσαι τὸ ἔργον εἰπὼν (οὐ γὰρ ἂν μετὰ σκευῆς καὶ γυναικὸς ἐπὶ ταῦτα ὁρμῆσαι) τὸν λοιπὸν λόγον κατὰ τοῦ Κλωδίου διετίθετο, ὡς θρασυτάτου δὴ καὶ φίλου θρασυτάτων, οἳ καὶ τὸ βουλευτήριον ἐπικατέπρησαν αὐτῷ. Ἔτι δ' αὐτοῦ λέγοντος οἵ τε λοιποὶ δήμαρχοι καὶ τοῦ δήμου τὸ ἀδιάφθορον ἐνέβαλλον ἐς τὴν ἀγοράν κ. τ. λ.* Vid. or. c. XXXIII. 91. ubi Garaton. in Appianum graviter invehitur, quod *ἀδιάφθορον* vocaverit Clodianam illam servorum, latronum, egentium multitudinem notissimam. — De caedibus consecutis et Appian. et Dio Cass. XL. 50. commemorant.“ MATTH.

††) In Ed. princ. leguntur haec: *acci. ipse etiam causam etiam ad populum dicebant. Uterque* — Ea sic sanavit Madvigius: *atque ipse etiam causam egit ad populum. Dicebat uterque* cet. Hanc ego viri acutissimi emendationem ita probavi cum Baitero, ut tamen pluralem *dicebant,* in quo antiquissimae Edd. consentiunt, retinendum putarem. Cf. supra §. 2.

§. 10. Fiebant interea alii ex aliis interreges, qui comitia consularia propter eorum candidatorum tumultus et eandem manum armatam habere non poterant. Itaque primo factum erat S. C., ut interrex*) et tribuni plebis et Cn. Pompeius, qui pro consule ad urbem erat, viderent, ne quid detrimenti res publica caperet, delectus**) autem Pompeius tota Italia haberet. Qui cum summa celeritate praesidium comparasset, postulaverunt apud eum familiam Milonis, item Faustae uxoris eius, exhibendam duo adolescentuli, qui Appii Claudii ambo appellabantur, qui erant C. Claudii filii,***) qui frater fuerat Clodii, et ob id illi patrui sui mortem, velut auctore fratre, persequebantur. Easdem Faustae et Milonis familias postulaverunt duo Valerii, Nepos et Leo, et L. Herennius Balbus. P. Clodii quoque familiam et comitum eius postulavit eodem tempore
§. 11. Caelius; familiam Hypsaei et Q. Pompeii postulavit .... Adfuerunt Miloni Q.
Hortensius, M. Cicero, M. Marcellus, M. Calidius, M. Cato, Faustus Sulla. Verba pauca
Q. Hortensius dixit: liberos*̣*) esse eos, qui pro servis postularentur: nam post recentem
§. 12. caedem manumiserat eos Milo sub hoc titulo, quod caput suum ulti essent. Haec
agebantur mense intercalari. Post diem trigesimum fere quam erat Clodius occisus, Q. Metellus Scipio †) in senatu contra M. Caepionem conquestus est, ac de caede P. Clodii falsum esse dixit, quod Milo sic se defenderet, et Clodium Aricinos decuriones alloquendi gratia abisse, profectum cum sex ac viginti servis; Milonem subito post horam quartam senatu misso cum servis amplius trecentis armatis obviam ei contendisse, et supra Bovillas inopinantem in itinere aggressum; ibi P. Clodium tribus vulneribus acceptis Bovillas perlatum; tabernam, in quam profugerat, expugnatam a Milone; semianimem Clodium extractum ....††) in via Appia occisum esse, anulumque eius ei morienti extractum; deinde Milonem, cum sciret in Albano parvulum filium Clodii,†††)

---

*) „Idem narrat Dio Cass. XL. pag. 143. E.“ MATTH.

**) Baiter. cum sola Ed. princ. *dilectus.* Cf. Zumpt. ad Cic. divin. in Caecil. cap. 4. §. 15. Kritz. ad Sallust. Catil. cap. 36. §. 3.

***) Hanc vocem omisit Ed. princ.

̣) Sic Baiter. praeeuntibus Berald. Lodoic.; *dixitque liberos* Ed. princ.; *dixit, quae sunt, liberos* Ald. Lugd. Hotom. Manut. Cren. al. Mihi vero non est dubium, quin ex vestigiis Ed. princ. sic scribendum atque interpungendum sit: *Verba pauca Q. Hortensius: dixitque liberos esse eos* cet. quae mihi oratio videtur huic loco cumprimis accommodata. Cic. ad Att. I. 18. §. 6. *Crassus verbum nullum contra gratiam.* Cf. ad Fam. V. 21. §. 2. extr. Brut. 92. §. 318.

†) „Dicit Q. Metellum, quem, quum esset ex gente Cornelia, Q. Caecilius Metellus Pius adoptavit.“ HOTOMAN. — Pro seq. *Caepionem* legendum videtur *Ciceronem.*

††) „Lacuna non nisi in Ed. princ. est indicata; magni tamen momenti vix fuit si quid excidit. Possis supplere *e taberna* vel *in publicum* ex §. 28.“ BAITER.

†††) Quum in Edd. haec male iungerentur, *cum sciret in Albano parv. filium Clodii venisse ad villam,* Baiterus *esse* infinitivum et minorem distinctionem addidit post nomen *Clodii.* Mihi ut comma necessarium, ita infinitivi illius omissio posse defendi videtur. Sic nos in familiari sermone: *ich wusste ihn auf seinem Landgute.* Quod quamquam nec plane simile ei est, quod h. l. Asconium dixisse puto, nec locus alius mihi quidem cognitus, ubi sic simpliciter dicatur, *sciebam illum domi*

venisse ad villam, et cum puer ante subtractus esset, ex servo*) Halicore quaestionem ita habuisse, ut eum articulatim consecaret;**) villicum et praeterea duos servos iugulasse; ex servis Clodii, qui dominum defenderint, undecim esse interfectos; Miloni duos solos saucios factos esse: ob quae Milonem postero die duodecim servos, qui maxime operam navassent, manumisisse, populoque tributim singula millia
§. 13. aeris ad defendendos de se rumores dedisse. Milo misisse ad Cn. Pompeium dicebatur, quod Hypsaeo summe studebat, quod***) fuerat eius quaestor, desistere se petitione consulatus, si ita ei videretur; Pompeium respondisse, nemini se neque petendi neque desistendi auctorem esse, neque populi Romani potestatem aut consilium aut sententiam interpellaturum. Deinde per*,*) C. Lucilium, qui propter M. Ciceronis familiaritatem amicus erat Miloni, egisse quoque dicebatur, ne se de hac re consulendo invidia oneraret.
§. 14. Inter haec cum crebesceret†) rumor, Cn. Pompeium creari dictatorem oportere, neque aliter mala civitatis sedari posse, visum est optimatibus tutius esse, eum consulem sine collega creari, et cum tractata ea res esset in senatu, facto in M. Bibuli sententiam S. C. Pompeius ab interrege Ser. Sulpicio V. Kalend. Mart. mense intercalario consul
§. 15. creatus est, statimque consulatum iniit.††) Deinde post diem tertium de legibus novis

---

(in villa sua, in urbe): non temere tamen mihi videor provocare ad eiusmodi locos, qualis est hic Ciceronis ad Att. V. 18. pr. *Bibulus nondum audiebatur esse in Syria. Cassius in oppido Antiochiae cum omni exercitu. Nos in Cappadocia ad Taurum cum exercitu ad Cybistra. Hostis in Cyrrhestica, quae Syriae pars proxima est provinciae meae.* Nec minus huc facere videtur, quod idem Laodiceae quum esset scripsit Appio Pulchro, cui censuram delatum iri augurabatur (ad Fam. III. 10. extr.): *Te, ut spero, propediem censorem audiemus.* ubi sive *factum esse* sive simplex *esse* suppleas, non minor aut magis ferenda quam apud Asconium ellipsis est.

*) Sic Baiter. cum Ed. princ. Berald. Lodoic.; *de servo* Lugd. Hotom. Manut. Cren. al. Cf. Liv. XXXIII. 28. §. 6. *In praesentia placuit comprehendi eos, qui simul fuissent, quaestionemque ex his haberi.*

**) Ed. princ. Berald. Ald. Lodoic. *consecarent*, quod fortasse ferri posse ait Baiterus, si suppleas tortores. Graevii cod. *conserrarent.*

***) Baiter. malit *qui.* Utrumque autem *quod*, et hic et paulo ante, in Ed. princ. per compendium scriptum esse.

,) Abest *per* ab Ed. princ. Berald. Ald. Lodoic.

†) Sic Ed. princ. cum Graevii cod. Idemque vulgatae scripturae *(crebresceret)* anteponit Orellius, quem vide ad Cic. Orator. §. 23. pag. Ed. minor. 20. sq. et pag. 446. de opt. gen. orator. §. 11. Cf. Weberi *Uebungsschule f. d. lat. Stil* pag. Ed. 2. 122, 3. item Wuestemann. ad Horat. Satir. II. 5. 93. et Zumpt. ad Cic. divin. in Caecil. §. 12. pag. 12. — In eis quae sequuntur nihil verius est quam quod ex Madvigii emendatione scripsit Baiterus, *dictatorem oportere, neque aliter*; Ed. princ. *dictatorem neque oportere aliter*; Berald. *dictatorem neque aliter*; ceteri *dictatorem neque opportune aliter.*

††) „Eadem narrat Dio Cass. XL. 50. Quod hic et Ascon. Bibulo, Appian. l. c. 23. tribuit Catoni, turpiter in eo errans, quod tunc Catonem a Pompeio missum esse narrat, ut Cyprum in provinciam redigeret. Secundum Plutarch. vit. Pomp. c. 54. sententiam a Bibulo propositam suasit Cato." MATTH.

ferendis retulit; duas ex S. C. promulgavit, alteram de vi, qua nominatim caedem in Appia via factam et incendium curiae et domum M. Lepidi interregis oppugnatam comprehendit, alteram de ambitu; poenam graviorem et formam iudiciorum breviorem: utraque enim lex prius testes dari per triduum,*) deinde uno die atque eodem et ab accusatore et ab reo
§. 16. perorari iubebat, ita ut duae horae accusatori, tres reo darentur. His legibus obsistere M. Caelius tribunus pl., studiosissimus Milonis, conatus est, quod et privilegium diceret in Milonem ferri et iudicia praecipitari: et cum pertinacius legem Caelius vituperaret, eo processit irae Pompeius, ut diceret, si coactus esset, armis se rem publicam defensurum. Timebat autem Pompeius Milonem,**) seu timere se simulabat; plerumque***) non domi suae, sed in hortis manebat, idque ipsum in superioribus, circa quos etiam magna manus militum†) excubabat. Senatum quoque semel repetundus erat††) Pom-
§. 17. peius, quod diceret timere se adventum Milonis. Dein proximo senatu P. Cornificius†††)

---

*) Sic Baiter. cum Hotom. Manut. Cren. ex §. 26. additis quae deerant verbis *per triduum.* Idem malit *audiri,* quod verbum etsi §. citata de testibus legitur (cf. §. 28. pr.), ego tamen ut etiam h. l. necessarium credam, ne adiectis quidem verbis *per triduum* adduci possum. Cf. Cic. in Verr. act. I. cap. 18. §. 55. Liv. XXV. 3. extr. Quinctilian. V. 7. 9. et 13. 3.

**) Asconius ad or. cap. 25. §. 67. narrat Pompeium *ne domi quidem suae, sed in hortis superioribus ante iudicium mansisse, ita ut villam quoque praesidio militum circumdaret. Q. Pompeius Rufus tribunus plebis, qui fuerat familiarissimus omnium P. Clodio et sectam suam sequi se palam profitebatur, dixerat in concione post paucis diebus quam Clodius erat occisus:* Milo dedit quem in curia cremaretis: dabo quem in Capitolio sepeliatis. *In eadem concione idem dixerat, (habuit enim eam a. d. VIII. Kal. Febr.) cum Milo pridie venire ad Pompeium in hortos eius voluisset, Pompeium ei per hominem propinquum misisse nuncium, ne ad se veniret. Prius etiam quam Pompeius III. consul crearetur, tres tribuni, Q. Pompeius [Rufus], C. Sallustius Crispus, T. Munatius Plancus, cum cotidianis concionibus suis magnam invidiam Miloni propter Clodium excitarent, produxerant ad populum Cn. Pompeium, et ab eo quaesierant, num ad eum delatum esset illud quoque indicium, suae vitae insidiari Milonem. Responderat Pompeius: Licinium quendam de plebe, sacrificulum, qui solitus esset familias purgare, ad se detulisse, servos quosdam Milonis itemque libertos comparatos esse ad caedem suam, nomina quoque servorum edidisse; se ad Milonem misisse, ut eos in potestate sua haberet; a Milone responsum esse, ex iis servis, quos nominasset, partim neminem se unquam habuisse, partim manumisisse; dein, cum Licinium apud se haberet, Lucium quendam de plebe ad corrumpendum indicem venisse; qua re cognita in vincla cum publica coniectum. — — Ob has suspiciones Pompeius in superioribus hortis se continuerat; deinde, ex senatus consulto delectu per Italiam habito cum redisset, venientem ad se Milonem unum omnium non admiserat.* (Cf. Cic. §. 68.) *Item cum senatus in porticu Pompeii haberetur, ut Pompeius posset interesse, unum tum excuti prius quam in senatum intraret, iusserat.*

***) Lodoic. *plerumque enim.* Baiter. malit *et plerumque,* quod sane magis placet, si modo quidquam addi h. l. necesse est.

†) Ed. princ. Berald. Ald. *magnanimus multum.* „Ego, *magna manus militum excubabat;* cum infra [ad Cic. orat. §. 67.] ita scriptum viderem, Pompeium *in hortis superioribus ante iudicium mansisse, ita ut villam quoque praesidio militum circumdaret."* MANUT.

††) Loci corrupti Baiterus proposuit hanc emendationem admodum verisimilem: *repente dimiserat.* Hotomanus ex iis quae extremo commentario [ad §. 67.] dicuntur [*cum senatus in porticu Pompeii haberetur*] reposuerat: *in porticu suo habuerat:* quod a Crenio correctum *(in port. sua hab.)* posteriores editores amplexati sunt.

†††) Vid. Cic. cap. XXIV. §. 66. extr.

ferrum Milonem intra tunicam habere ad femur alligatum dixerat. Postulaverat, ut
femur nudaret.*) Et ille sine mora tunicam levarat. Tum M. Cicero exclamaverat,
omnia illi similia crimina esse, quae in Milonem dicerentur alia.
§. 18. Deinde Munatius Plancus tribunus pl. produxerat in concionem M. Aemilium Phile-
monem, notum hominem, libertum M. Lepidi. Is se dicebat pariterque secum quattuor
liberos homines iter facientes supervenisse, cum Clodius occideretur, et ob id cum pro-
clamassent, abreptos et perductos, per duos menses in villa Milonis praeclusos fuisse;**)
§. 19. eaque res, seu vera seu falsa, magnam invidiam Miloni contraxerat. Idemque Munatius
et Pompeius tribuni pl. in Rostra produxerant triumvirum capitalem, eumque interro-
gaverant, an Galatam Milonis servum caedes facientem deprehendisset. Ille dormientem
in taberna pro fugitivo deprehensum et ad se productum***) esse responderat. Denun-
ciaverant tamen triumviro, ne servum remitteret. Sed postera die Caelius tribunus pl.
et Q. Manilius Cumanus *,*) collega eius ereptum e domo triumviri servum Miloni red-
diderunt. Haec, etsi nullam †) de his criminibus mentionem fecit Cicero, tamen, quia ita
§. 20. compereram, putavi exponenda. Inter primos et Q. Pompeius et C. Sallustius et T.
Munatius Plancus tribuni pl. inimicissimas conciones de Milone habebant, invidiam
etiam de Cicerone,††) quod Milonem tanto studio defenderet; eratque maxima pars
multitudinis infensa non solum Miloni, sed etiam propter invisum patrocinium Ciceroni.
§. 21. Postea Pompeius et Sallustius in suspicione fuerunt in gratiam redisse†††) cum Milone
ac Cicerone. Plancus autem infestissime perstitit, atque in Ciceronem quoque multitu-
dinem instigavit; Pompeio autem suspectum faciebat Milonem, ad perniciem eius com-
parari vim vociferatus; Pompeiusque ob ea saepius querebatur, fieri sibi quoque insi-
dias, et id palam, ac maiore manu se armabat. Dicturum quoque diem Ciceroni Plan-

---

*) Ed. princ. Berald. Ald. Lodoic. *videret.*

**) Sic scripsi et distinxi, sequutus maxime principis Ed. et Ald. vestigia: *et productos per duos menses in villam Milonis praeclusos fuisse.* Berald. Lodoic. *et perductos per duos menses in villam Milonis et praeclusos fuisse.* Lugd. Manut. *et per duos menses in villam Milonis praeclusos fuisse.* Hotom. Cren. *et perductos in villam Milonis ibique per duos menses praeclusos fuisse.* Baiterus: *et productos (perductos* malit Orell.*) in villam Milonis per duos menses praeclusos fuisse.*

***) Sic Baiter. cum Ed. princ.; *perductum* ceteri.

,) Sic Baiter. cum Graevii codice; *et Manilius Camanus* Ed. princ. Berald. Lodoic.; *et Manil. Canianus* Lugd. Hotom. Manut. Cren.; *et Manil. Caninianus* Pighius Ann. III. 314.

†) Sic Baiter. cum Lodoic.; *haec et nullam* Ed. princ.; *hic etsi nullam* Graevii cod.

††) Hotom. Cren. auctore Manutio: *invidiosas etiam de Cic.* Baiter. legendum suspicatur: *invidiam etiam fecerunt Ciceroni.* Mox Graevius e codice suo *qui Milonem.*

†††) „Rarius visum est loquendi genus, quo usus est Lentulus (in Cic. Epp. ad Fam. XII. 15. post med.) *magistratus veniebant in suspicionem detinuisse nos et demorati esse;* quamquam infinitivum tuetur Ciceronis locus (in Verr. IV. 13, 30.) *quum in suspicionem venissent suis civibus fanum expilasse Apollinis,* nominativum ratio locutionis; est enim *credor.* Sed eodem modo Asconius in argum. Mil. *Pompeius et Sallustius in suspicione fuerunt in gratiam redisse cum Milone.* Adde Sueton. Iul. 9. Tiber. 12.“ MADVIG.

§. 22. cus ostendebat; postea autem Q. Pompeius idem meditatus*) erat. Tanta tamen con-
stantia ac fides fuit Ciceronis, ut non populi a se alienatione, non Cn. Pompeii suspi-
cionibus, non periculi futuri metu, si dies**) ad populum diceretur, non armis, quae pa-
lam in Milonem sumpta erant, deterreri potuerit a defensione eius, cum posset omne
periculum suum et offensionem inimicae multitudinis declinare, redimere autem Cn.
Pompeii animum, si paullum ex studio defensionis remisisset.
§. 23. Perlata deinde lege Pompeii, in qua id quoque scriptum erat, ut quaestor***) suffra-
gio populi ex iis qui consules fuerant crearetur, statim comitia habuit, creatusque erat
L. Domitius Aenobarbus quaestor. Aliorum quoque iudicum, qui de ea re iudicarent,
Pompeius tales proposuit, ut nunquam neque clariores viros neque sanctiores proposi-
§. 24. tos esse constaret. Post quod statim nova lege Milo postulatus est*,*) a duobus Ap-
piis Clodiis adolescentibus, iisdem, a quibus antea familia eius fuerat postulata, item-
que de ambitu ab iisdem Appiis, et praeterea a C. Cetheio †) et L. Cornificio, de soda-
liciis a P. Fulvio Nerato. Postulatus autem erat et de sodaliciis et de ambitu ea spe,
quod primum iudicium de vi futurum apparebat, quo eum damnatum iri confidebant nec
§. 25. postea responsurum. Divinatio de ambitu accusatorum facta est quaestore A. Tor-
quato, atque ambo quaestores, Torquatus et Domitius, pridie Nonas April. reum ad-
esse iusserunt. Quo die Milo ad Domitii tribunal venit, ad Torquati amicos misit;
ibi, postulante pro eo M. Marcello, obtinuit, ne prius causam de ambitu diceret quam
de vi iudicium erat perfectum.††) Apud Domitium autem quaestorem maior Appius po-
stulavit a Milone exhiberi servos numero IV et L, et cum ille negaret eos qui nomina-
bantur in sua potestate esse, Domitius ex sententia iudicum pronunciavit, ut ex servo-
§. 26. rum eorum numero accusator quot vellet ederet. Citati deinde testes secundum legem,
quae, ut supra diximus, iubebat, ut prius quam causa ageretur, testes per triduum audi-
rentur, dicta eorum iudices confirmarent,†††) quarta die adesse omnes in diem posterum

---

*) Sic Baiter. cum Ed. princ. Berald. Ald. Lodoic.; *minitatus* ceteri.

**) Sic Baiter. cum Ed. princ. Berald. Ald. Lodoic.; *si sibi dies* ceteri. Mox idem cum Ed. princ. et Berald. *redimere autem,* pro quo apud Ald. et seqq. legitur *redimere etiam.*

***) „*quaestor* Princ. Berald. Lod. — *quaesitor* ceteri. Sed vide Gesnerum in thesauro s. v. *quaesitor.* cfr. Corte ad Salust. Iug. c. 40.“ BAITER. — Paullo post idem Bait. *quaestor* cum Ed. princ. et Berald., eisdemque cum Baitero obsequuti sumus §. 25.

,) Quod deerat *est* addendum esse vidit Madvigius.

†) *C. Ceteio* Ed. princ. Berald. Ald. Lodoic.; *Q. Petulcio* Hotoman. Cren. al. ex correctione Hotomani *(Patulcio),* quod apud Ascon. ad §. 95. orat. Milon. L. Cornificius et Q. Patulcius de vi accusavisse Milonem dicuntur. Quare etiam h. l. ipsum illud *de vi* post voc. *praeterea* addiderunt Lugdun. Hotoman. Manut. Cren. et seqq.

††) Sic Baiterus cum Ed. princ. in qua tamen est *profectum;* ceteri *esset perfectum.*

†††) Sic scripsi cum Ed. princ. Berald. Ald. Lodoic. Bait.; *consignarent* ceteri, quum apud Ascon. ad §. 71. or. Milon. *obsignata* fuisse testium verba dicantur. De *ut* partic. post *iubebat* posita cf. Zumpt. Gr. Lat. §. 617.

iuberentur, ac coram accusatore ac reo pilae, in quibus nomina iudicum inscripta essent, aequarentur; dein rursus postera die sortitio iudicum fieret, unius et LXXX: qui numerus cum sorte obtigisset, ipsi protinus sessum irent; tum ad dicendum accusator duas horas, reus tres haberet, reusque eodem die illo iudicaretur; prius autem quam sententiae ferrentur, quinos ex singulis ordinibus accusator, totidem reus reiiceret, ita ut numerus iudicum relinqueretur, qui sententias ferrent, quinquaginta et unus.

§.27. Primo die datus erat in Milonem testis Cassinius Schola, qui se cum P. Clodio fuisse, cum is occisus esset,*) dixit, atrocitatemque rei factae quam maxime potuit auxit. Quem cum interrogare M. Marcellus coepisset, tanto tumultu Clodianae multitudinis circumstantis exterritus est, ut vim ultimam timens in tribunal a Domitio reciperetur. Quam ob causam Marcellus et ipse Milo a Domitio praesidium imploraverunt. Sedebat eo tempore Cn. Pompeius ad aerarium, perturbatusque erat eodem illo clamore;
§.28. itaque Domitio promisit, se postero die cum praesidio descensurum, idque fecit. Qua re territi Clodiani silentio verba testium per biduum audiri passi sunt. Interrogaverunt eos M. Cicero et M. Marcellus et Milo ipse. Multi ex iis, qui Bovillis habitabant, testimonium dixerunt de iis, quae ibi facta erant: cauponem occisum, tabernam expugnatam, corpus Clodii in publicum extractum esse. Virgines quoque Albanae**) dixerunt mulierem ignoratam venisse ad se, quae Milonis mandato votum solveret, quod Clodius occisus esset. Ultimae testimonium dixerunt Sempronia Tuditani filia, socrus P. Clodii, et uxor Fulvia, et fletu suo magno opere eos qui adstabant commoverunt. Dimisso circa horam decimam iudicio T. Munatius pro concione populum adhortatus est, ut postero die frequens adesset, et elabi Milonem non pateretur, iudiciumque et dolorem suum
§.29. ostenderet euntibus ad tabellam ferendam. Postero die, qui***) fuit a. d. III.†) Id. Aprilis, clausae fuerunt tota urbe tabernae; praesidia in foro et circa omnes fori aditus Pompeius disposuit; ipse pro aerario, ut pridie, consedit, septus delecta manu militum. Sortitio deinde iudicum a primo die††) facta est; post tantum silentium toto foro fuit,

---

*) Sic Bait. cum Ed. princ. Berald. Ald. Lodoic.; *est* Lugd. Hotom. Manut. Cren.

**) „*Albanae* de Orellii coni. cfr. Inscr. Lat. N. 2240. *aliae* Princ. Berald. Ald. Lod. *Vestales* Lugd. Hot. Man. Cren.“ BAITER. — Mox *ignoratam* pro vulg. *ignotam* Bait. dedit ex Ed. princ. et Hotoman.

***) Sic Baiter. cum Madvigio. Ed. princ. *ostenderet. Euntibus ad tabellam ferendam postero die qui*; ceteri, *ostenderet. Euntibus ad tabellam ferendam postero die iudicibus, qui.* — In iis quae statim sequuntur *(qui fuit)* Hotom. et Cren. *qui fuit iudicii primus*: „mire profecto; nam quintus et extremus hic fuit iudicii dies, ut satis apparet ex ordine iudicii ab ipso Asconio supra descripto.“ MADVIG.

†) Aut hic *a. d. VI.* aut in principio argumenti *a. d. III.* scribendum esse ait Manutius, ut dies conveniat. Utra nota corrupta sit, nobis non licet diiudicare.

††) Sic Ed. princ. Berald. Ald. Lodoic. Bait. *a quaesitore* Lugd. Manut. *ut primo die* Hotom. Cren. „*a primo die*, id est, ut Columella loquitur, *primo mane* coepta est fieri sortitio iudicum, ita ut intra secundam horam accusatores dicere inciperent; eodem modo dici *primo die, prima nocte, primo anno* (Colum. X. 190.) vix admonendum est.“ MADVIG.

quantum esse in aliquo foro posset. Tum intra horam secundam accusatores coeperunt dicere, Appius maior et M. Antonius et P. Valerius Nepos. Usi sunt ex lege horis duabus.

§.30. Respondit his unus M. Cicero: et cum quibusdam placuisset ita defendi crimen, interfici Clodium pro re publica fuisse, (quam formam M. Brutus secutus est in ea oratione, quam pro Milone composuit et edidit, quasi*) egisset:) Ciceroni id non placuit, quod non, qui**) bono publico damnari, idem etiam occidi indemnatus posset. Itaque cum insidias Milonem Clodio fecisse posuissent accusatores, quia falsum id erat, (nam forte illa rixa commissa fuerat,) Cicero apprehendit, et contra Clodium Miloni fecisse insidias disputavit, eoque tota oratio eius spectavit. Sed ita constitit, ut diximus, neutrius consilio pugnatum esse eo die, verum ei***) forte occurrisse; ex ea rixa servorum tandem ad†) caedem perventum. Notum tamen erat, utrumque mortem alteri saepe minatum esse, et sicut suspectum Milonem maior quam Clodii familia faciebat, ita expe-
§.31. ditior et paratior ad pugnam Clodianorum quam Milonis fuerat. Cicero cum inciperet dicere, exceptus est acclamatione Clodianorum, qui se continere ne metu quidem circumstantium militum potuerunt. Itaque non ea qua solitus erat constantia dixit.††) Manet autem illa quoque excepta eius oratio. Scripsit vero hanc, quam legimus, ita perfecte, ut iure prima haberi possit.†††)

---

*) Sic Baiterus; *quamvis* Ed. princ. *quamvis non* ceteri. „Dicendum erat: *etiamsi non egerat*: qui sensus inest nostrae lectioni.“ BAITER.

**) Quod deerat *non* addendum vidit Hotomanus, quem recentiores sequuti sunt.

***) Sc. Miloni Clodium. *eos* Lodoic. *ei*, quod omittunt Lugd. Hotom. Manut. Cren., ex Ed. princ. Berald. Ald. revocavit Baiterus.

†) *tandem ad* scripsi cum Baitero. *ad eandem* Ed. princ. Berald. *ad eam* ceteri.

††) „Dio Cass. XL. 54. militum conspectu perterritum Ciceronem narrat *τῶν μὲν παρεσκευασμένων μηδὲν εἰπεῖν, βραχὺ δέ τι καὶ τεθνηκὸς χαλεπῶς φθεγξάμενον ἀγαπητῶς μεταστῆναι.* Cf. Plutarch. v. Cic. 35. Addit Dio Cass. l. c. *ὁ Μίλων τῷ λόγῳ πεμφθέντι οἱ ὑπ' αὐτοῦ ἐντυχὼν (ἐπεφυγάδευτο γὰρ) ἀνταπέστειλε λέγων, ὅτι ἐν τύχῃ αὐτῷ ἐγένετο τὸ μὴ ταῦθ' οὕτω καὶ ἐν τῷ δικαστηρίῳ λεχθῆναι· οὐ γὰρ ἂν τοιαύτας ἐν τῇ Μασσαλίᾳ (ἐν ᾗ κατὰ φυγὴν ἦν) τρίγλας* [mullos] *ἐσθίειν, εἴπερ τι τοιοῦτον ἀπελελόγητο.*“ MATTH.

†††) De exitu iudicii Asconius ad cap. XXXV. *Peracta utrinque causa singuli quinos accusator et reus senatores, totidem equites et tribunos aerarios reiecerunt, ita ut unus et L sententias tulerint.* (Cf. supra §. 26.) *Senatores condemnaverunt XII, absolverunt VI. Equites condemnaverunt XIII, absolverunt IIII. Tribuni aerarii condemnaverunt XIII, absolverunt III. Videbantur non ignorasse iudices, inscio Milone initio vulneratum esse Clodium, sed compererant, post quam vulneratus esset, iussu Milonis occisum. Fuerunt qui crederent, M. Catonis sententia eum esse absolutum; nam et bene cum re publica actum esse morte P. Clodii non dissimulaverat, et studebat in petitione consulatus Miloni, et reo adfuerat. Nominaverat quoque eum Cicero praesentem et testatus erat audisse a M. Favonio ante diem tertiam quam caedes facta erat, Clodium dixisse, periturum esse eo triduo Milonem.* (Vid. Cic. cap. 16. §. 44. cf. cap. 9. §. 26.) *Sed Milonis quoque notam audaciam removeri a re publica utile visum est: unde sciri unquam potuit utram sententiam tulisset?*

Damnatum autem opera maxime Appii Claudii, pronunciatum est. — — *Milo in exilium Massiliam intra paucissimos dies profectus est. Bona eius propter alieni aeris magnitudinem semuncia venierunt.* — Vell. Paterc. II. 47. *Milonem reum non magis invidia facti quam Pompeii damnavit voluntas. quem quidem M. Cato palam lata absolvit sententia; qui si maturius tulisset, non defuissent qui sequerentur exemplum probarentque eum civem occisum, quo nemo perniciosior reipub. neque bonis inimicior vixerat.* Aliam causam damnationis profert Plutarchus in Cic. cap. 35. *αὐτοῦ τοῦ Μίλωνος εὐθαρσῶς καὶ ἀνδρείως παρισταμένου τῷ ἀγῶνι καὶ κόμην θρέψαι καὶ μεταβαλεῖν ἐσθῆτα φαιὰν ἀπαξιώσαντος· ὅπερ οὐχ ἥκιστα δοκεῖ συναίτιον αὐτῷ γενέσθαι τῆς καταδίκης.*

